



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Illvstrivm Controversiarvm Biga.

Caraccioli, Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1619

Primvm Argvmentvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64242)

militare cepit, baptismum suscepisse, non alio utique huius rei Auctore (quis enim alius de ea re scripsit?) quam Seuerio loco iam dicto. Rursus idem Seuerus lib. 2. Historiæ, *Prælium*, ait, *Marathonium gestum est post Romam conditam anno ferè ducentesimo, & sexagesimo. Macherino, & Augustino Coss.* Hæc ille: & tamen ab Vrbe condita ad eos Consules sunt anni pleni 261. Ita verò dicere Seuerus maluit; quippè nouerat, particulam, ferè, quandoque non minuere, sed augere. Sed de re minima, iam satis multa. Itaque concludo argumentum baronij, particulæ, *ferè*, innixum, non procedere. Profligatis igitur his Baronij rationibus, restat, illud esse ad hoc idem probandum facilè validissimum, quod è Cyclo Paschali manifestè colligitur, videlicet, non posse alio anno statui obitum Ambrosij nisi anno 397. eo enim solo Anno, & non alio (per ea circiter tempora) contigit Sabbatum Sanctum die 4. Aprilis, qua die, Ambrosium decessisse in Vigilia Paschæ Fasti Sacri, atque Historici omnes affirmant. Hoc igitur certissimum argumentum erat afferendum. Itaque valdè miror eruditissimum Virum debilia hæc attulisse & rebus incertis innixa; Ea enim non sua vi, sed casu quodam verum concludere iam ostendimus.

Sed accedamus nunc ad examinandam alteram partem, quam Baronius aduersus Gregorium Turonensem statuere nititur: hoc est B. Martinum obiisse anno sal. 402.

94

PRIMUM ARGUMENTUM.

SEVERVS Discipulus S. Martini, & eiusdem vitæ narrator, tradit Martinum vixisse sexdecim Annos post Conuentum Treueri habitum de causa Priscilliani, ergo Martinus obiit Archadio, & Honorio V. Coss. anno iuxta vulg. Fastos 402. eo enim Anno, & non ante, terminantur sexdecim Anni iam dicti. Antecedens asseritur à Seuerio his verbis: *Sexdecim postea vixit Annos, nullam Synodum adiit: ab omnibus Episcoporum Conuentibus se remouit.* Sequela autem facilè probatur. Nam Synodus illa habita est Euodio Consule quem ad Conuiuium vnà cum S. Martino Imperator Maximus eo tempore euocauit. Ab Euodio autem Consule, quem vulg. Fasti figunt ad Annum 386. vsque ad Arcadij, & Honorij Quintum Consulatum hoc est vsque ad Annum Christi 402. sunt sexdecim Anni, neque plures, neque pauciores, Eo igitur anno B. Martinus obiit. Vide Fastorum seriem suprapositam.

RESPONSIO.

95 ANTEQVAM ad hoc argumentum è directo respondeam, libet Seuerum ipsum, quem iam nos Baronius intorsit, in Baronium retorquere. Seuerus alibi scriptum reliquit Beatum Martinum eo tempore fuisse iam septuagenarium, hoc est habuisse annos septua-

ginta